

» dendam ad libros quoscumque de  
» rebus sacris in genere, id est ad  
» religionem pertinentibus tractan-  
» tes. » (1)

II. Post haec perpendamus al-  
terum quaestionis Caput, quo in-  
quirendas nobis proposuimus diffe-  
rentias inter Concilii Tridentini Ca-  
put et Constitutionem Apostolicae  
Sedis circa illos qui praesentem ex-  
communicationem incurrunt.

Ex Capite Tridentino igitur ex-  
communicationem incurrerant im-  
pressores, quo nomine nedum ty-  
pographos intelligimus, sed etiam  
illos qui cum eiusmodi artem non  
exerceant, typos tamen componere  
et imprimere, quamvis delectationis  
causa, noverunt; etenim et hi vere  
et proprie libros de rebus sacris  
tractantes sine superiorum facul-  
tate in casu imprimerent.

Equidem novimus, auctores esse  
atque Commentatores Pianae Con-  
stitutionis, quos citat atque sequi-  
tur cl. F. Piato in suo *Comment.*  
in *Const. Apostolicae Sedis* pag. 31  
*Edit. 1881*, qui ad alios etiam no-  
men illud extendunt: Scribit enim:  
« Hoc nomine (imprimentes) ve-  
» niunt omnes qui proxime ad li-  
» bri impressionem concurrunt,  
» quales sunt: auctor libri, si eius  
» cura liber editur; libri editor;

(1) Acta S. Sedis Tom. XV pag. 536.

(2) Scribit enim *Comment. pag. 265*: Quinam dicantur imprimere supra-  
dictum est pag. 31, n. 13. Et hanc eandem sententiam retinent Commentator Pa-  
tavimus pag. 293. et pag. 47. Ciolli *Com. pag. 28. 123*. La Nouvelle Revue  
Theologique Tom. XII, pag. 299 et Tom. II, pag. 631, n. 34. Del Vecchio  
*Theol. mor. Tom. I, pag. 726, n. 591*. Cretoni etc.

» typographus, seu typographicae  
» officinae dominus; qui typos or-  
» dinat et componit; qui eos atra-  
» mento tingit; qui chartam made-  
» facit, seu praeparat; qui eam  
» torculari supponit; qui torcular  
» premit. » Affirmat scilicet, hoc  
in Capite vocabulo *impressoribus*  
eundem inesse sensum ac inest voci  
*imprimentes* in Cap. II excommu-  
nicationum primae classis (*eosdem-  
que libros imprimentes*) (2). Ni ta-  
men nos fallit opinio, in Sess. IV  
Concilii Tridentini *impressorum* vo-  
cabulum ad unos typographicae of-  
ficinae dominos, non ad alios ex-  
tendendum est.

Reapse Patres Tridentini de illis  
impressoribus loquuntur qui *putan-  
tes sibi licere quidquid libet, sine li-  
centia superiorum ecclesiasticorum*  
*ipso sacrae Scripturae libros, et su-  
per illis annotationes et expositio-  
nes quorumlibet indifferenter saepe*  
*tacito, saepe etiam ementito praelo,*  
*et quod gravius est, sine nomine*  
*auctoris imprimunt, alibi etiam im-  
pressos libros huiusmodi venales ha-  
bent*. At haec agere tantum typo-  
graphiarum domini poterunt; nul-  
lus enim sive ex ministris, sive ex  
typographiae operariis libros sine  
delectu imprimere potest, sed illos  
tantum qui eis ab domino typogra-

phiae imprimendi conceduntur; ac-  
cedit quod impressores hi lucrum  
tantummodo quaerentes, libros im-  
primebant *saepe tacito, saepe emen-  
tito praelo*, quod, non accedente  
typographiae domini consensu et  
mandato, ab inferioribus ministris  
ferri non potest; cum typographiae  
domini sibi honori attribuant in li-  
bris impressis typographiam indi-  
care.

Quid; quod impressores hi illi  
erant qui *etiam alibi impressos li-  
bros huiusmodi venales habebant?*  
Qui autem hoc agere poterant nisi  
typographiae domini? Quandoqui-  
cem in casu requiritur dominium  
in re, quod certe non habent offi-  
cinae operarii.

Sed insuper in huiusmodi impres-  
sorum Tridentini Patres innovant poe-  
nas in Concilio Lateranensi statu-  
tas; illae autem gravissimae erant;  
etenim *qui secus praesumpserit*, ita  
patres Lateranenses, *ultra librorum*  
*impressorum amissionem, et illorum*  
*publicam combustionem, ac centum*  
*ducatorum fabricae principis Apo-  
stolorum de urbe sine spe remissionis*  
*solutionem, ac anni continui exer-  
citiu impressionis suspensionem, ex-  
communicationis sententia innoda-  
tus existat*. Atqui eiusmodi poenae  
cumulative inferuntur, ita ut in  
omnes et singulos latae sint, qui  
latum decretum transgredi prae-  
sumpserint; at si vocabulum im-  
pressores non ad typographiae do-  
minos tantum contrahamus, sed ad  
omnes alios extendamus, de quibus

clar. Piato in testimonio superius  
allegato, percipient profecto lecto-  
res, multa occurrere quae defendi  
nullo pacto possunt. Poena ex. gr.  
amissionis librorum vel eorum com-  
bustionis nullo pacto afficere pote-  
rat eos qui domini librorum im-  
pressorum non essent; hi igitur  
hanc poenam non incurrerant; poe-  
nam pecuniariam insuper centum  
ducatorum quomodo potuissent sol-  
vere operarii qui quotidiano labore  
victum quotidianum sibi compara-  
bant? atque advertatur, initio sae-  
culi XVI, quo concilium Lateranen-  
se V celebratum fuit, ingentem  
summam illam fuisse. Quid igitur  
impossibile Lateranenses patres o-  
perariis imposuissent, quod neque  
cogitandum est. Deinde quae in  
facto operariorum culpa, illorum  
praesertim qui typos atramento tin-  
gunt, chartam madefaciunt, torcu-  
lari supponunt, torcular premunt,  
cum etiam illiterati esse potuerint  
et possint; nesciant proinde quae  
sit libri materia? At sine culpa nulla  
contrahitur poena. Superest ergo ut  
dicamus unos typographiae dominos  
lateranensi sanctione affectos fuisse,  
cum poenae illatae ipsos prorsus  
afficiant, non ceteros.

Addimus in Instructione *pro iis*  
*libris tum prohibendis, tum expur-*  
*gandis, tum etiam imprimendis,*  
*diligentem ac fidelem, ut par est,*  
*operam sunt daturi, Clementis VIII*  
*auctoritate regulis Indicis adiecta,*  
Cap. de Impressione librorum. § 6  
sequentia praescribi: « Typographi



» et Bibliopolae coram Episcopo, aut  
 » Inquisitore, et Romae coram magi-  
 » stro sacri Palatii, iureiurando spon-  
 » deant, se munus suum catholice,  
 » sincere, ac fideliter executuros,  
 » huiusque Indicis decretis ac re-  
 » gulis, Episcoporumque et Inqui-  
 » sitorum edictis, quatenus eorum  
 » artes attingunt, obtemperaturos,  
 » neque ad suae artis ministerium  
 » quemquam scienter admissuros,  
 » qui haeretica labe sit inquinatus.»  
 At eiusmodi et perficiunt, et per-  
 ficere possunt vel tantum typogra-  
 phiae domini, vel eorum principa-  
 les administri, qui omnigenis facul-  
 tatibus a dominis donati fuere, non  
 alii operarii. Ergo, etiam ad Cle-  
 mentis VIII mentem, typographi,  
 id est impressores, sunt tantum ty-  
 pographiae domini, vel ii ministri  
 principales qui domini typographi-  
 cam artem fortasse vel nescientis  
 vel non exercentis personam, et of-  
 ficiū gerunt; ut ex. gr. contingit  
 Romae in Typographia S. Congre-  
 gationis de Propaganda Fide, in qua  
 Director omnia peragit, et ipse est  
 qui iuramentum praestat de officio  
 catholice et fideliter exequendo, non  
 alii.

Ex iis vero patere arbitramur,  
 in cit. Concilii Tridentini Capite ad  
 unos typographiae dominos vocabu-  
 lum *impressores* coarctandum esse;  
 vel ad summum ad eorum princi-  
 pales administros qui omnia ad nu-  
 tum gerant disponantque relate ad  
 typographiam de dominorum man-  
 dato; consequenter eos tantum ex

Concilii Tridentini decreto, excom-  
 municationem incurrere, non alios  
 qui in typographia operam praestant.

Verum nedum impressores, sed  
 etiam ii qui libros de rebus Sacris  
 imprimi faciunt in cit. Tridentini Ca-  
 pite excommunicationi subduntur.

Qua in re cl. Piato *Comment.*  
*pag. 265* scribit: « Imprimi facit  
 » qui curat per seipsum, ut liber  
 » typis mandetur, v. g. editor; vel  
 » auctor, si eius cura liber editur,  
 » alias censuram non incurrit. »  
 E contra cl. D' Annibale *Comment.*  
*pag. 105. n. 175* absolute pronun-  
 tiat: « Ait Tridentinum: *imprimere*  
 » *vel imprimi facere*: ergo huc non  
 » pertinent auctores librorum. »  
 Quenam igitur sententia tenenda?

Profecto si doctissimus D' Anni-  
 bale auctores excommunicatione  
 exemti cum directam partem non  
 habent in impressione librorum de  
 rebus sacris, eius sententia vera est,  
 atque cum sententia aliorum Com-  
 mentatorum confunditur: si vero  
 auctores lata censura subtrahat etiam  
 cum ipsi committunt et efficiunt ut  
 liber de rebus Sacris imprimatur,  
 sententia eius falsa deprehenditur,  
 et consequenter derelinquenda.

Revera 1<sup>o</sup> iuxta Concilii Triden-  
 tini verba, quae ex Canone Late-  
 ranensi desumpta sunt, illi excom-  
 municationi subduntur, qui libros  
 de rebus sacris tractantes sine or-  
 dinarii licentia imprimi faciunt; ergo  
 quicumque talem ponat actionem,  
 ex qua dici possit, per eum effe-  
 ctum fuisse ut liber imprimeretur,

excommunicatione lata eximi non  
 poterit: at auctores esse qui nedum  
 talem actionem ponere possunt, sed  
 plerumque ponunt, quis umquam  
 negaverit?

Nèque quis subsumat, ex Tri-  
 dentino Capite apparere, agi in eo  
 de libris sacrae Scripturae, et super  
 eos annotationibus et expositionibus  
 iam impressis, qui sine delectu ab  
 typographis iterum imprimuntur,  
 consequenter hac in re auctores lo-  
 cum non habere, cum ad aeternam  
 vitam transmigrasse potuerint. Im-  
 primis enim Tridentini Patres gene-  
 rice prosus loquuntur: *et super illis*  
*annotationes et expositiones quorum-*  
*libet indifferenter*: ergo etiam au-  
 ctorum viventium, qui sua auctori-  
 tate et mandato plerumque libros  
 imprimi curant: deinde quamvis ex  
 verbis citatis auctores excludere vel-  
 lemus, quomodo excludi possent ex  
 verbis sequentibus *nullique liceat*  
*imprimere*, qui sunt typographi, *vel*  
*imprimi facere*, qui possunt esse et  
 plerumque sunt auctores?

2<sup>o</sup>. Concilii Tridentini Patres  
 etiam futuris temporibus reprobato  
 abusu consultum voluere; At si  
 exclusissent auctores: hi cum latis  
 poenis exempti forent, et Sacrae  
 Scripturae libros, et quaslibet su-  
 per eis annotationes et expositiones  
 imprimi facere potuissent; conse-  
 quenter latum decretum inutile red-  
 dere.

3<sup>o</sup>. Praeipiunt insuper ne libri  
 aliqui imprimantur, nisi prius exa-  
 minati probatique ab Ordinario fue-

rint. At exinde praxis renovata ut  
 libri sive defunctorum sive aucto-  
 rum viventium ab ecclesiasticis cen-  
 soribus examinentur. Praxis autem  
 legem evidenter explicat.

5<sup>o</sup>. Canon Tridentinus relate ad  
 libros de rebus Sacris idem est ac  
 Canon Lateranensis; sed in hoc agi-  
 tur de libris quibuslibet ab aucto-  
 ribus etiam viventibus concinnatis.

6<sup>o</sup>. Regularibus, nedum Ordina-  
 riorum, sed et Superiorum ordinis  
 approbatio imponitur antequam li-  
 brum aliquem imprimi faciant. At  
 hos esse etiam auctores vivos ne-  
 dum ex contextu capitis Tridentini  
 apparet, sed evidentissime ex cit.  
 Instructione Clementis VIII *De im-*  
*pressionibus librorum* §. 2. « Regula-  
 » res, praeter Episcopi, et Inqui-  
 » sitoris licentiam, de qua regula X  
 » dictum est, meminerint teneri se,  
 » Sacri Concilii Tridentini decreto,  
 » operis in lucem edendi faculta-  
 » tem a praelato, cui subiacent,  
 » obtinere. » Cum autem Clemens  
 VIII id praecipiat ad praescriptum  
 Tridentini Decreti Sess. IV, mani-  
 festum est in eo etiam de auctori-  
 bus viventibus agi. Si igitur sint  
 auctores qui libros de rebus sacris  
 imprimi faciant, excommunicationem  
 incurrant necesse est, si autem  
 in impressione nullam partem ha-  
 beant, insontes sunt iudicandi.

Quid ergo, si dum alius quilibet  
 auctoris cuiusdam librum de rebus  
 sacris typis amandari curet, au-  
 ctor impressionem agnoscat, nec  
 impediatur?



Putamus, auctorem nullam excommunicationem incurrere; lex enim exigit actionem directam: *imprimi faciunt*; in casu autem auctor nihil omnino efficit ut liber suus imprimatur; cum neque mandatum, neque facultatem, neque consensum illum imprimendi concesserit. Quin immo auctorem ab excommunicatione eximendum dicimus, quamvis nudum consensum ad libri impressionem praestiterit, cum neque hoc in casu habeatur actio directa, neque sit auctor qui librum imprimi facit, sed ille qui auctoris consensum requisivit ad illum imprimendum. Profecto verba *imprimi faciunt* exigunt mandatum, et commissionem; nudus autem consensus neutrum importat.

Ita neque excommunicatum auctorem libri proclamabimus si manuscriptum simpliciter vendat, nulla adiecta de eo imprimendo conditione; emptor autem illud typis amandet; etenim et in hoc casu actio directa deficit; cum non sit auctor qui librum imprimi facit, sed emptor, qui consequenter excommunicationem incurrit. At si auctor typographo committat ut librum imprimat gratis, vel pretio accepto, aut accipiendo, hoc in casu excommunicatione percellitur, cum ipse sit qui librum de rebus sacris imprimi facit, typographus autem illam ut impressor contrahit.

Hae duae personarum classes etiam in Piana Constitutione excommunicatione mulctantur; immo hae

solae: *Cui (excommunicationi) illos tantum subiicere volumus*, inquit Pius IX, *qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt*.

Ex Concilio Tridentino tamen ad incurrendam excommunicationem tres conditiones requirebantur; et ut libri de rebus sacris tractarent, et ut sine facultate legitima imprimerentur, et demum sine nomine auctoris; haec enim postrema conditio explicita est, cum in decreto dicatur: *sine nomine auctoris*. Ex quo sequebatur, quod si quis sine legitima facultate vel impressisset, vel imprimi fecisset libros eiusmodi cum nomine auctoris praesentem excommunicationem non incurrerat; lex enim poenalis est; et ad incurrendam excommunicationem, quae maxima poena est, conditiones omnes a Legislatore praescriptae comprobari debent; sin minus nec perfecta contumacia deprehenditur, neque absolute lex violata dici potest.

Attamen nunc eam incurrunt etiam illi qui cum auctoris nomine libros eiusmodi imprimunt, vel imprimi faciunt, cum Pontifex Pius IX Tridentinam hanc conditionem praetermiserit. Et quidem prudentissime; tanta enim nunc est edendi improba et noxia quaeque libertas, tanta auctorum inverecondia, ut nedum eos non pudeat, sed honori sibi tribuant proprio nomine infanda quaeque divulgare; ita ut si Pon-

tifex Tridentinam conditionem conservasset, et consequenter eos excommunicatione exemisset qui suo imprimunt libros nomine, legem ferre inutilem tulisset; cum vel nemo, vel admodum pauci hanc excommunicationem nostro aevo incurrerent.

Pariter iuxta Concilii Tridentini decretum tum ii qui vendebant, tum qui apud se retinebant eiusmodi libros excommunicationem incurrerent. At cum in Piana Constitutione praetermissi fuerint, excommunicatione eximuntur.

Ulterius Concilii Tridentini Patres excommunicationi subdiderunt illos etiam qui manuscripta de rebus sacris vel communicarent vel evulgarent; atque etiam illos qui eiusmodi manuscripta apud se tenerent, vel legerent, nisi prodiderint legitimis Superioribus auctores; cum enim, eiusmodi spreto mandato, pro auctoribus habendi essent, atque auctores excommunicatione mulctentur, si vel ipsi divulgaverint, vel divulgari et communicari eiusmodi manuscripta mandarint, etiam illorum detentores vel lectores, in casu exposito excommunicati dicendi erant: *Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur*. Hi postremi autem excommunicatione non tenebantur, nisi et ipsi manuscripta eiusmodi aliis communicassent, vel

evulgassent; etenim auctores manuscriptorum, hac stante conditione, excommunicationem incurrerent. Attamen etiam hi in Piana Constitutione praetermissi sunt, cum tantum de libris loquatur, quo nomine neque manuscripta, neque folia typis quidem impressa, attamen separata, neque parvae molis libelli, sed ea volumina veniunt, quae comprehendant saltem decem folia, ut alios inter docet Schmalzgrueber *Ius Can. Tom. V, Tit. VII, n. 55*.

Demum iuxta Concilii Tridentini decretum in impressione eiusmodi librorum Regulares nedum Ordinariorum, sed etiam Superiorum suorum licentiam obtinere debebant. Num ne excommunicati dicendi erant vel sunt, si Superiorum suorum posthabita examinatione et facultate, unica ordinariorum licentia libros de rebus Sacris imprimi faciant?

In antiquo iure quamvis Bonacina *Tract. de excommun. omnibus in partic. extra Bullam Coenae Disp. II. Quaest. II. Punct XVI, n. 8* eiusmodi regulares excommunicationi submitteret, alii tamen, numero maiores eximebant; non est autem putandus Pius Papa IX in sua Constitutione excommunicationi voluisse subiicere eos de quibus neque in antiquo iure an essent excommunicati constabat, cum nihil de eiusmodi facto explicite sanxerit. Quin imo, ut nobis videtur, contraria intentio deprehendatur. Pontifex enim eos excommunicationi



subiicit, qui sine Ordinarii approbatione libros de rebus sacris tractantes imprimunt, aut imprimi faciunt. At Ordinarii nomine veniunt Episcopi et abbates in determinata Dioecesi iurisdictionem quasi episcopalem exercentes, non autem Superiores regulares; cum autem in poenali verba stricto sint sensu sumenda, regulares qui sine suorum Superiorum licentia libros de rebus Sacris imprimi faciunt, quamvis peccent, non sunt de excommunicatione damnandi, si Ordinarii approbationem retulerint.

#### CAPUT II.

*Per summa capita recensentur excommunicationes ceterae a Concilio Tridentino directe latae.*

Praeter excommunicationem in superiori Capite expositam, Tridentini Patres alias sequentes directe tulerunt, quas hoc in capite innuimus, ut deinceps eas, nisi ad aliquam ex expositis reducantur, singillatim expendamus.

Itaque *Sess. XIII, Can. XI* eos excommunicationi submiserunt qui docent, in peccato mortali existentes non teneri confessionem sacramentalem praemittere sive Eucharistiae perceptioni, sive Missae celebrationi.

*Sess. XIII Cap. 11 de Reformatione* excommunicationem tulerunt contra usurpatores honorum cuiuscumque Ecclesiae vel loci pii.

(1) Scimus a Suprema Inquisitione circa duellum nonnulla lata esse decreta; sed cum nobis nondum communicata fuerint, nil addere possumus.

Huius autem notulae occasione Lectores nostros monemus, nullam a nobis de-

*Sess. XXIV. De Refor. matrimonii Cap. 1* eos anathemate multarunt qui negant, clandestina matrimonia esse valida quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, aut matrimonia filiorum sine parentum consensu nulla esse, aut a parentibus posse irritari.

*Sess. XIV. Cap. 6 de Reform. matrimonii* tulerunt anathema in raptores mulierum eorumque complices.

*Sess. XXIV. Cap. 9 de Reform. matrimonii* excommunicarunt dominos et magistratus qui servos et subditos invitos ad matrimonia ineunda compellunt.

*Sess. XXV. Cap. 5 de Regulibus et Monialibus* excommunicatione feriunt magistratus qui auxilium denegant ad restituendam vel conservandam Sanctimonialium clausuram.

Qua pariter *Sessione et Capite* excommunicationem ferunt in violentes sanctimonialium clausuram.

*Sess. XXV. Cap. 19 de Refor.* excommunicatione plectunt quoscumque dominos temporales qui in terris sibi subiectis duellum permittunt, tum pugnam perpetrantes, complices, atque spectatores.

At haec postrema in duellantes lata excommunicatio refunditur in Caput III excommunicationum Romano Pontifici simpliciter per *Const. Apostolicae Sedis* reservatarum; de eaque egimus in Commentario nostro *Tom. 1. pag. 536. (1)*

De excommunicatione lata in usurpatores honorum Ecclesiasticorum, agit *Piana Constitutio* Cap. XI excommunicationum speciali modo Romano Pontifici reservatarum, quod commentariis illustravimus *Tom. cit. pag. 352.*

Pariter excommunicationem latam in violentes clausuram Monialium renovavit Pius Papa IX Cap. VI excommunicationum secundae classis; nosque de ea egimus *Tom. cit. pag. 701.*

Excommunicationem vero latam contra magistratus auxilium denegantes ad restituendam vel conservandam sanctimonialium clausuram non tam in desuetudinem abiisse, ut el. De Varceno sentire videtur, quam in actualibus rerum circumstantiis observari non posse melius putamus. Quomodo enim dicere possumus in desuetudinem abiisse legem cuius ab ipso Pio Papa IX inculcata observatio est? Quamvis enim in desuetudinem abiisse ante *Const. Apostolicae Sedis* dicere vellemus; eam restitutam a Pio Papa IX fateri debemus; si autem postea in desuetudinem abiit: ergo cum *Piana*

*Constitutio* anno 1869 obligare coeperit, eo ipso anno in desuetudinem abiisse renovatum eiusmodi Tridentinum caput asserendum esset; quod nefas.

Nobis itaque agendum de reliquis est. At circa excommunicationem latam in eos qui docent, in peccato mortali existentes ante Eucharistiae perceptionem, vel missam celebrandam non teneri praemittere sacramentalem confessionem; atque aliam latam in eos qui negant clandestina matrimonia esse valida etc. doctores et Commentatores inter se disputant. Alios inter Gabriel De Varceno *Compendium Theologiae Moralis Tom. II. pag. 507* affirmat, has duas excommunicationes comprehendere in art. 1 excommunicationum simpliciter Papae reservatarum (1).

At praestantissimi scriptores *de la Nouvelle Revue Theologique Tom. IV. pag. 469, et Tom. XII. pag. 292. Ninzatti Theologia Moralis Tom. II. n. 1793, 6, 7. D'Annibale Summula, Pars 1, pag. 311, nota 4. Edit. 1881. Commentator Patavinus pag. 297, n. 405* contrarium opinantur, et quidem verius, ut

cretum in *Actis* referri nisi illud *directe et immediate* a respectivis Congregationibus habeamus. Non mirentur hinc si aliquando in afferendis decretis tardiores sumus: nulla alia est causa nisi quod Congregationes nondum decreta nobis communicarunt, vel quod nolunt ut eo tempore publicentur. De authenticitate itaque actorum Sanctae Sedis quae nos referimus lectores nostri sunt undequaque certi.

(1) Excommunicatio contra docentes: *Contritos etiamsi habeant copiam Confessarii, posse absque sacramentali confessione peccatorum mortalium recipere Eucharistiam, et contra docentes: matrimonia clandestina facta libero contrahentium consensu non esse vera et rata matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit, comprehenditur in articulo primo excommunicationum simpliciter Papae reservatarum.*



nobis videtur. Etenim in citato Constitutionis Pianae Capite agitur de propositionibus ab Apostolica Sede damnatis sub excommunicationis poena latae sententiae; sub nomine Apostolicae Sedis autem non veniunt Concilia quamvis oecumenica, sed tantummodo Romanus Pontifex, consequenter hae duae a Tridentino proscriptae propositiones sub citato Pianae Constitutionis Capite concludi non possunt.

Hac in re insuper et illud observamus, quod Tridentinae censurae nemini sunt reservatae; si vero sub allegato Capite Constitutionis Apostolicae Sedis concluderentur, reservatae, quamvis simpliciter, Romano essent Pontifici.

Hinc et eas hoc in loco expendemus, illud etiam praemittentes quod per Constitutionem Apostolicae Sedis nihil censuris Tridentinis additum est, sed eo in statu relictae quo reperiebantur: reservatae consequenter sunt, vel non reservatae iuxta Tridentinorum Patrum dispositionem. Sunt enim apertissima Constitutionis Pianae verba.

### CAPUT III.

*De Excommunicatione a Tridentinis Patribus lata in eos qui docent, in peccato mortali existentes non teneri sacramentalem confessionem praemittere sive Eucharistiae perceptioni, sive missae celebrationi.*

Concillii Tridentinii Patres. Sess. XIII, cap VII circa praeparationem

quae adhibenda est, *ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat haec praescribenda duxerunt*: « Si non » decet ad sacras ulla functiones » quempiam accedere nisi sancte, » certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius Sacramenti » viro christiano comperta est, » eo diligentius cavere ille debet, » ne absque magna reverentia et » sanctitate ad id percipiendum » accedat, praesertim cum illa » plena formidinis verba apud apostolum legamus (1. Cor. XI. 29): » *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* » Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius » praeceptum (v. 28): *Probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica autem » consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus » sibi conscius peccati mortalis, » quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod » a christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec » Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit copia confessoris. Quod si » necessitate urgente Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. »

Et haec quidem Concillii Tridentini Patres praescribere ut Sacer-

dotes Sacrosanctum missae sacrificium celebrantes et fideles Eucharistiam sumentes necessaria non praetermitterent, neque ad sanctam mensam nedum sine debita praeparatione accederent, sed conscientia peccato gravi coinquinata. (1)

Quam eandem necessariam conditionem eadem Sess. XIII, Can. XI praescribere Tridentini Patres dum haec sanciverunt. « Et ne tantum » Sacramentum (Eucharistiae) indigne atque ideo in mortem » et condemnationem sumatur; » statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, » quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia » Confessarii, necessario praemittendam esse confessionem Sacramentalem. *Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere seu etiam pu-*

*» blice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat. »*

Eiusmodi Tridentini Concilii decretum quisque consideret, facillime deprehendet, in eo quatuor actiones excommunicatione percelli, si tamen cum praesumptione admittantur; Concilium Tridentinum enim dicit: *si quis contrarium docere.... praesumpserit.* Praesumptio autem importat contemptum legis et poenae adnexae.

1. Docere, non esse necessario praemittendam confessionem sacramentalem Eucharistiae perceptioni, modo non desit Confessarii copia. Consequenter theologus, vel alius quilibet qui auditores suos eiusmodi sententiam absolute doceret, excommunicationem incurreret; non autem ille qui eam doceret, deficiente Confessarii copia; neque professor qui docendo, veluti per-

(1) Circa praeparationem enim Eucharistiae sumptioni praemittendam verba Chrysostomi consideranda sunt, quae infra octavam Corporis Christi in Breviario inseruit Ecclesia, ut Sacerdotes illa legentes sacro percillantur horrore, et ea sanctitate qua per est, missae sacrificium Deo offerant.

« Quapropter, inquit Chrysostomus, in omnibus oportet te vigilare; nec enim » parva poena proponitur indigne sumentibus. Cogita quantum adversus proditorem » indignaris, et contra eos qui illum crucifixerunt: itaque considera, ne tu quoque » sis reus corporis et sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus occiderunt, tu » vero polluta suscipis anima, post tot beneficia. Neque enim illi satis fuit hominem » fieri, colaphis caedi, et crucifigi; verum et semetipsum nobis commiscet; et non » fide tantum, verum et ipsa re nos suum efficit corpus. Quo non oportet igitur » esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem » num carnem hanc dividentem, os quod igne spiritali repletur, linguam, quae » tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali » mensa fruaris. Quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri » propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et » facti sumus unum Christi corpus et una caro. Quis loquetur potentias Domini, » auditas faciet omnes laudes eius? »